

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Heinrich Schuckmann Daniel Conradi

## **Disputatio Inauguralis De Publicis Iudiciis**

Rostochii: Kilius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732615011>

Druck Freier  Zugang



Rk für 1650  
Schleswig (Jan Conrad)



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn732615011/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732615011/phys_0002)

**DFG**

DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE  
**PUBLICIS JUDICIIS**

*Quam*  
**SS. TRINITATIS ANNUENTE**  
**GRATIA**

Ex Decreto & Autoritate Magnifici  
& Amplissimi Jectorum Ordinis, in illustri  
Rosarum Academiâ,

SUB PRÆSIDIO

*VIRI AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI*  
*Atq; EXCELLENTISSIMI*

**DN. HENRICI SCHUCKMANNI,**  
Jcti summi, Codicis P. P. ac Facultatis  
Juridicæ p. t. Vice-DECANI spectatissimi, Duca-  
lis Consistorii Assessoris gravissimi, Patroni, Pro-  
motoris sui nunquam non devenerandi

Pro summis in utroq; Jure honoribus & Privilegiis  
consequendis

*Publicæ Eruditorum disquisitioni submittit*

**DANIEL CONRADI,**  
Ultz, Lünæburg.

*In Audit. Majori ad d. 26. Maij horis ante & pomeridianis.*

---

**ROSTOCHII,**

*Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.*  
*ANNO CLXIIII.*

1653





DE

# PUBLICIS JUDICIIS.

um Justitiae, particularis sc: duæ sint par-  
tes, Commutativa & Distributiva. *Arist. s. Eth. c. 5.*  
*6. & 7.* quārum prior respicit contractus, posterior  
præmiorum distributionem & pœnarum infi-  
ctionem. (nisi malimus distinguere inter pœnam ratio-  
ne quantitatis & qualitatis, sicur & inter quantita-  
tem delicti & qualitatem, quo sensu pœnarum infi-  
ctioni omnino ad Ju-  
stitiam commutativam referenda erit) Hinc legislatores non tantum  
delictis pœnas præscribere, sed etiam bene merita præmiis mactare  
debet. *Lipf. s. Politic.* Horum tamen posterius omisit Modestinus  
*l. 7 ff. de ll.* Ideò, quia i. homines promptius contra ll: quam juxta eas  
agunt. 2. Non omnis, qui iuxta ll: agit, statim præmiis est afficiendus,  
qui enim non occidit alterum, non propter ea præmium fert. Nos  
quoq; in hisce pagellis, proponendo materiam Publicorum Judiciorum  
& scitu pernecelariam, & dignitate amplam, & in foro frequentem,  
non de præmiis, sed pœniis volumus esse solliciti, præprimis moti, quod  
vulgus non ita natum sit, ut pudori obsequatur, sed ut metui; nec ut ab-  
stineat à pravis ob turpitudinem, sed ob supplicia & pœnam. *Arist. 3.*  
*Eth. c. 11.* Sed cū nullius boni operis sit superædificium, ubi Christus  
non datur fundamentum. *c. 26. causa 1. quest. 1.* ideo SS. Trinitatem, u  
nostris annuat cœptis, devotis deveneramus precibus, simulq; in votis  
habemus, ne Magistratus aut severitatis, aut clementiæ gloriam affe-  
ctent, sed perpenso judicio, prout quæque res expostulat, statuant. *l. n.*  
*in pr. ff. de pœniis,* nec maleficia maneant impunita. *l. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil.*

## THESIS 1.

ocabulum Judicij est πολύσημον, varias habens significatio-  
nes, quarum 13, videre licet apud Marant. Specul. part. 1. Inter  
alias acceptiones sumitur pro actione. *§. 4. Inst. de Offic. Iudic.*

A 2

l. 9. l. 49

*I. 9. l. 49. ff. famil. eriso. & passim, quæ propriæ hujus loci est, & sic per Judicia Publica actiones publicas impræsentiarum intelligimus.*

*2. Publica a. Judicia propriæ sic dicuntur ratione causæ efficientis, quando videlicet lex expresse actionem pro publicâ habet, qualis est L. Cornelias, & hujusmodi similes. l. 1. ff. de Publ. Jud. l. 3. §. f. ff. de prævaricat. l. 32. §. 2. ff. de recept. qui arbitr. Non ratione accusationis. l. 3. in pr. ff. de sepulchro viol. l. 30. C ad L. Jul. de Adult. l. 30. §. 1. ff. ad L. Corn. de fals. Nec ratione materiae sive objecti, & in eo populares actiones à Judiciis publicis distingvuntur. l. 1. ff. de popular. action.*

*3. Divisionem Publicorum Judiciorum proponit l. 2. ff. de Publ. Judic. quæ alia sunt capitalia, alia non capitalia. Capitalia perhibentur, quæ mortem vel naturalem, vel civilem inferunt. §. 2. Inst. d. t. l. 2. ff. d. 1. & l. 103. ff. de V.S. Quæ non capitalia sunt, facile est colligere. argto. pr. Inst. de his, qui sunt sui vel alien. Cæterum hic not. quod ex Judicio publico, sive capitali, sive non, semper condemnatum infamia comitetur. l. 1. ff. de his, qui not. infam. & l. 7. ff. de Publ. Jud.*

*4. Nunc ad singulas species Judiciorum publicorum descendimus, Prima est L. Jul. Maj. in eos, qui adversus summam Majestatem animati, sicq; crimen læsa Majestatis commiserunt. l. 1. & l. f. ff. ad L. Jul. Maj. §. 3. Inst. de Publ. Jud. severissime animadvertens. l. 5. & l. f. C. ad L. Jul. Majest. & d. §. 3. An vero & quatenus secundum LL. Justinianas, facie Imperii post Justinianum longè immutata, crimen læsa Majestatis in Imperatorem nostrum, Electores, Principes, Confiliarios committatur? eâ de re judicium nostrum suspendimus, propter l. 3. C de crimine sacril.*

*5. Crimen læsa Majestatis sumitur in genere & in specie. In generre committitur convitiis, armis & aliis nonnullis modis. l. f. l. 7. §. 3. ff. ad L. Jul. Majest. l. 1. C. de privat. carcer. inhib. l. 2. C. de falsa mon. In specie opponitur criminis perduellionis, quod armis tantum perpetratur. d. l. f.*

*6. Subdit autem solum, non peregrini reos se se atrocissimi hujus criminis faciunt. c. 2. de sent. & re Judic. in Clement. Bacch. disp. de specieb. publ. Judic. th. 1. lit. b. in tantum ut solus consensus sufficiat; & puniatur eadem poenâ, quæ punitur effectus. l. 5. C. ad L. Jul. Majest. modo in actum aliquem externum eruperit. l. 18. ff. de poenis, peræquæ ac consensus ad contrahendum matrimonium sufficiens. l. 30. de R. J. per verba, vel signa declarari debet, Panormit. in c. penult. X. de sponsal.*

*7. Poena*

7. Pœna criminis læsæ Majestatis, perduellionis scil. est capitalis cum bonorum publicatione, & insuper memoria defuncti daminatur. *l. s. l. f. C. ad L. Jul. Majest. & §. 3. Inst. de Public. Judic.* cum quâ infamia & prohibitæ factionis testantenti pœna in liberos transit. *d. l. s. §. 1.* & confirmatur Aur. bull. tit. 24. Eadem pœna severitatem, immo maiorem legimus in Justino lib. 21 c. 4.

8. Pœna criminis læsæ Majestatis in specie ita sumpti solet interdum pecuniaria esse, interdum capitalis. *l. un. C. si quis Imper. maledix.* *l. 7. §. 3. ad L. Jul. Majest. & art. iii. Const. Crim. Caroli V.* Et quamvis alias regulariter reatus morte extinguitur. *l. f. ff. d. t.* fallit tamen hoc in crimen læsæ Majestatis, quod tam non de quovis Majestatis temeratore accipiendum, sed qui perduellionis reus perhibetur. *d. l. f.* Idem obtinet in crimen repetundarum & peculatus. *l. f. ff. ad L. Jul. Pecul. & l. 20. ff. de Accusation.*

9. Tantum de crimine læsæ Majestatis: blasphemia enim, quâ divina Majestas lœditur, non est propriæ hujus loci, quippe non statim delictum publicum est, quod vel in DEUM commissum, vel capitalem pœnam infert. Hujus pœna de Jure Canonico est publica pœnitentia. *c. f. X. de maled. de Jure divino, ut & Civili ultimum supplicium. Levit. 24. vers. 16. Nov. 77. c. 1. §. f.* cui quodammodo concordant. *Recess. Imper. de anno 1548. §. Von Gottes Læsterungen / & art. 106. Const. Crimin.*

10. Secunda species Judiciorum publicorum est *L. Julia de Adulterio*, ad alterius thorum accessum & stuprum coercens. *§. 4. Inst. de Publ. Judic.* Definitur adulterium, quod sit alieni thori violatio. *l. 101. in pr. ff. de V. S. l. 6. §. 1. & l. 34. §. 1. ff. ad L. Jul. de Adult.* *c. 2. causa 36. quæst. 1.* Et dispescitur in simplex & duplex, sive, quod idem, duplicitum. Illud dicitur, si solutus cum conjugata. Hoc, si conjugatus cum conjugata rem habeat. *Jul. Clar. §. Adult. n. 2.* Tertia species Adulterii Jure Civili non datur, quamvis Jure Canonico inter conjugatum & mulierem solutam adulterium quoq; committatur. *c. 3. causa 32. quæst. 4. c. 15. causa 32. quæst. 5.* quam Juris Canonici dispositionem. Theologi nostri seqvuntur. *Joach. a Beust de Sponsal. & matrim. part. 2. c. 17.*

11. De Sponsâ de futuro quæritur, An in eam adulterium committatur? Et respondemus, quod sic, quia neq; matrimonium, neq; matrimoniū

monii spem violare permittitur. l. 13. §. 3. ff. ad L. Jul. de Adult. l. 7. C. d.t.  
Et quidem sponsalia de præsenti Juri Civili sunt incognita l. 1. de sponsal.  
& Jure Pontificio introducta c. 22. & c. penult. X. d.t. Immo & in eam  
uxorem adulterium committitur, quæ, cum antea vulgaris esset, post-  
modum in matrimonium deducta caput honeste vivere. l. 13. §. 2. ff. ad  
L. Jul. de Adult. si vero durante matrimonio pluribus se prostituerit,  
adulterium cessat. l. 22. C. d.t.

12. Stupri vox est nomen generis & speciei, priori casu sign. omnem  
concubitum illicitum. l. 1. §. 2. ff. de extraord. crim. l. 6. §. 1. l. 29. §. f. & l.  
34. §. 1. ff. ad L. Jul. de Adul. post. denotat concubitum virgini, vel viduæ  
illatum. §. 4. Inst. de Publ. Jud. & d. l. 6. §. 1. Et subdist. in voluntarium  
& violentum. Violentum stuprum tripliciter committitur. 1. Si manus  
violentæ comprimatur virgo vel vidua. 2. Si metu vel minis perterrita  
in stuprum consentiat. 3. Si magicis artibus adhibitis mulier consen-  
tiat, et si non adhibeat vim stuprator. arg. l. un. §. 2. C. de raptu  
virg. Treutl. arg. eorum, que habet diff. de Specieb. Jud. publ. th. 3. lit. f.  
ubi in nondum viripotente stuprum censet violentum ob deficientem  
consensum. c. 8. X. de desponsat. Impuber. Voluntarium quid sit, ex dictis  
constat.

13. Utrumq; rursus vel sine incestu, vel cum incestu committitur,  
& contingit incestus propriè in ascendentibus, descendantibus, vel so-  
rore, non vero illis, qui ulteriori gradu ex latere, aut per affinitatem  
conjunguntur. Gloß. in Auth. Incestus. C. de Incest. nupt. & VVesemb. in-  
parat. ff. ad L. Jul. de Adult. n. 22.

14. Sed cum incestus alius sit Juris Gentium, alias Juris Positivi,  
controvertitur de incestu inter fratres & sorores contingente, cui Juri  
adscribendus? Et esse Juris Positivi probabilius videtur. l. ult. de ritu nupt.

15. Poena adulterii varia apud varias gentes fuit. Damhoud. prax.  
crim. c. 89. n. 53. & seqq. Dionys. Halicarnasc. lib. 2. antiquit. Romanar.  
donec tandem in poenam gladii conversa, l. 30. C. ad L. Jul. de Adult. &  
Nov. 134. c. 10. & 12. Const. crim. art. 120. Verum hodie in plerisq; terris  
poena gladii in desuetudinem abiit, quæ de re Julius Clar. §. Adulterium.  
n. 8. graviter conqueritur. Silentio hic non involvendum, quod com-  
mittens adulterium cum sponsâ de futuro non ordinariâ poenâ, sed fu-  
stigatione afficiatur, quam sententiam, tanquam humaniore Bach.  
diff. de specieb. Judic. publ. th. 2. lit. e. approbat, non repugnante textu

Deut.

**Deut. 22. vers. 23.** Prætereà cum adulterans primario ex plenæ voluptatis finem intendat, per consequentiam etiam injuriam, cum eo injuria-  
rum agi potest. **I. 25. ff. de Injur.** Sed stultus esset, si ob adulterium injuria-  
rum ageret, quoniam poena gravior adulteranti inferri potest.

**16.** Stupri poena voluntarii est, dimidia partis bonorum publicatio,  
aut fustigatio, si sit persona vilis. **§. 4. Inst. de Public. Jud.** quæ poena ho-  
die est mutata, & tenetur stuprator, ut aut doctet, aut ducat stupratam.  
**Jul. Clar. §. Stuprum n. 3.** **Ludtvv. disp. ult. th. 4. in. s.** ubi rationem ad-  
dit, quare moribus nostris a Jure Divino & Canonico matrimonium  
hoc in casu præcipiente. **Exod. 22. vers. 16.** **Deut. 22. vers. 28.** & sequent  
**c. i. X. de Adult.** recedatur. Et quidem illa dos ad eam quantitatem redi-  
gi solet, quam verisimiliter dedisset in dotem corruptæ pater. **V Vesenb.**  
**in parat. ad L. Jul. de Adult. n. 21.** quamvis solitis prius ab alio vitiatis  
eadem dotatio non debeatur. **Panormit. in c. i. n. 2. de Adult.** Licet autem  
prædicta præstet, nihilominus tamen à Magistratu puniendus venit.  
**Harpp. ad §. 4. n. 98. de Publ. Judic.**

**17.** Violentum stuprum capitali poenâ afficitur. **art. 119. Ordinat.**  
**crim.** Fornicationi, quæ ferè coincidit cum stupro, nulla de J. C. poena  
præstituta reperitur. **arg. I. 27. §. 1 ff. de heredit. petit. I. 13. §. 2 ff. ad L. Jul. de**  
**Adult.** An in Christianis & bene constitutis Rebuspubl. hæc sit tole-  
randæ, videatur **Ludtw. d. disp. th. 4. lit. e.** Incestus poenam proponit  
**Auth. Incestus C. de incest. nupt.** Sed consulatur **Damboud.** in praxi crim.  
**c. 94.** Huc referri potest poena bigamiæ, quæ est capitalis. **Conf. Crim.**  
**art. 121.** poena Sodomiae, quæ est ignis. **art. 116.** sicut & illi comburuntur,  
qui nefandam libidinem cum pueris exercent. **d. art.**

**18.** Succedit jam tertia Judiciorum publicorum species, **L. Cornelia de sicariis**, exerens vim suam adversus veneficos & homicidas do-  
lo malo homicidium committentes. **§. 5. Inst. de Publ. Jud. I. 7. ff. ad L. Corn.**  
**de Sicar.** Definitur homicidium, quod sit qualibet examinatio violen-  
ter facta, quæ anima à corpore separatur. **Bald. in l. 7. ad L. Aquil.** & deri-  
vatur ab homine **V Vesenb. in parat. n. 5 ff. ad L. Corn. de Sicar.**

**19.** Et quia infantes in utero pro jani natis & hominibꝫ habetur. **I. 7. ff. de**  
**statu hom. I. 231. ff. de V.S.** hinc etiā ad infantes in utero materno adhuc exi-  
stentes homicidiū porrigitur. Dist. tamē aut n. fœtus ab act⁹ jam fuit ani-  
mat⁹, aut nondum: priori casu verè censetur homicidium perpetratum  
**I. 38. §. 5. & I. seq. ff. de pñ. post. non. arg. I. 8. ff. de Sicar. & I. 4. ff. de extraord.**  
**crim.**

erim. quocirca priori casu partum abigens summo supplicio afficitur. Post. in exilium mittitur. dd. text. Huic distinctioni concordat quoq; Jus Canonicum c. 9. causa 32. quest. 2. & c. 8. eadem quest. Jus divinum. Exod. c. 21. vers. 22. 23. Verbaversionis Græcæ 70. Interpretum ita incipiunt, εάν δέ μάχωνται δύο ἀνδρες, ηγετὴ πολέμου γεννῶσιν &c. Nec non readem distinctio habetur Const. Carol. art. 133 Quando autem fetus pro animato, vel inanimato habendus, dissentunt. Damhoud. c. 74. n. 15. Carpz. part. i. quest. ii. Elector vero Augustus constituit, ut semper post elapsum dimidium gestationis tempus, videlicet post 5 menses. fetus habeatur pro animato, & tum qui abegit partum, punitur pena gladii, secus fustigatione. Const. 4. part. 4. quæ pena etiam in aliis locis solet observari. Ratio, quare L. Corn de Sicariis tantum subiicitur, quæ abortum sibi causatur, nec perinde puniatur, ac si natum infantem occidisset, hæc est, quia dubium potest esse, antequam mulier sumat poculum abortionis, fetus in utero existens adhuc vivat.

20. Occasione partū abigentis de expositione infantū quicquā addimus: Aut ergo infans, in locū solitarium expositus, ut moriatur, mortuus est, aut vero inventus; priori casu ordinaria pena L. Corn. locum habet. art. 132. Const. Crim. post. casu extraordinariā penā, fustigatione scil. mater solet puniri. d. art. Carpz. part. i. quest. 10. Si mulier non expuerit infantem in locum solitarium, sed evitandæ infamiae causā, & ut apud alios alimenta inveniat, & vel mortuus fuerit in frequenti loco, vel non, verius est extra ordinem eam puniri. arg. d. art. in verbis, Nach Gelegenheit des gefährlichen hinlegens Bach. disp. de specieb. Judic. publ. th. 5. lit. g. & priori casu fustigatione & perpetua relegatione, post, si sc. inventus fuerit infans vivus, punitur relegatione Carpz. d. l.

21. Homicidium dividitur in simplex & deliberatum, quorum posterius dolo malo & animo deliberato, atq; ad hoc ipsum, ut homo occidatur, admittitur. l. 1. §. 3 l. 7. ff. ad L. Corn de Sicar. & l. 1. C. d. t. prius animum deliberatum occidendi non præsupponit. dd. text. & fit vel necessitate, vel casu, vel culpâ. Exemplum homicidii necessarii proponitur l. 3. C. ad L. Corn. de Sicar. Casualis & culposi in §. 5. Inst. de L. Aquil.

22. De deliberato homicidio non est dubium, quin pena L. Corn. Subjaceat. l. 3. §. penult. & l. penult. ff. d. t. quæ pena indistincte per art. 137. Const. Crim. in penam gladii est conversa. Quomodo homicidium à pluribus commissum puniendum, questionis est? Nos ita disting.

Quando

Quando quidam aut plures in rixâ interficiunt hominem , vel fecerunt  
hoc factâ cōspiratione de homine interficiendo, vel rixâ fortuito subor-  
tâ, priori casu etiamsi vel 100. sint, qui interfuerint neci, & unus tantum  
lethaliter illū vulneraverit, omnes ordinariâ pœnâ sunt afficiendi. d. Con-  
crim. art. 148. modo mors reverâ subsecuta. l. f. ff. d. t. post: casu subdist:,  
aut enim constat de eo , qui vulnus lethale inflxit, aut non : priori casu  
ille solus ordinariâ pœnâ afficitur. d. Constit. & si omnes vulnera letha-  
lia inflixerunt mortuo, ordinariæ pœnæ omnes sunt mancipandi. d. Con-  
stit. post. vero, quando sc. non constat de authore lethalis vulneris , o-  
mnes illi extraordinariâ puniuntur pœnâ. Gaii. lib. 2. observ. 109. Decius  
in l. favorabiliores de R. J. in tali tamen casu Judex omnem adhibere de-  
bet diligentiam, an contra unum indicia habere possit, nam tūm debet  
illum quæstioni subiicere, e. gr. si unus sit, cuius gladius inveniatur san-  
guine conspersus, aut cuius gladius aptus inveniatur, quando aptatus  
vulneri ; sic quoq; si nemo vulnus lethale inflxit mortuo, coniunctim  
tamen attulerunt mortem cæso , omnes extra ordinem sunt puniendi.  
d. Constit. in verbis, gefährlicher weise/tödtlich, & Carpzov. part. i. quæst. 25.

23. Quemadmodum autem ipsum homicidam pœnæ L. Corn.  
subjacere diximus; sic quoq; is, qui homicidium fieri jussit. l. 152. §. 1. de  
R. J. l. 11. §. 3. de Injur. ad quod mandatum si & pretium accesserit, dici-  
tur in J. Canon. Assassinum. c. 1. de homicid. in 6. definiturq; homicidi-  
um perpetratum ab eo, qui pecuniâ acceptâ ad illud se conduci passus  
est. Covarr. in Clement. n. 9. vers. secundus relât. 2. de homicid. & vocatur  
Assassinus, qui vero pecuniam dedit, Assassinator. Harpp. ad tit. de Publ.  
Judic. n. 137. Hinc etiam colligitur, quod rerum turpium sit mandatum,  
quatenus tam mandans, quam mandatarius obligatur Reipubl. ad vin-  
dictam publicam.

24. Homicidium necessarium, dum quis aggressorem in periculo  
vitæ constitutus occidit, nulla sequitur pœna. l. 3. C. ad. L. Corn. de Si-  
car. l. 45. §. 4. ad L. Aquil. l. 3. de J. & J. modo defensio illa recte ses-  
habeat. Et cum Gail. l. 1. de pace publ. c. 16. n. 17. tria requirimus ad mo-  
deramen inculpatæ tutelæ. 1. Causam. l. 52. §. 1 ad L. Aquil. 2. Modum.  
l. 3. §. 9 de vi & vi arm. 3. Tempus. d. l. 3. Causa in eo consistit, ut præ-  
cedat injusta offendio, ut sc. quis ab alio sine justâ causâ sit insultus. Mo-  
odus consistit in propulsione proportionatâ ad periculum mortis sibi  
imminens. Tempus ad hoc requiritur, ut defensio fiat in continentali. Et

quidem qui hæc tria observavit ab omni pœnâ erit immunis, qui autem non, extraordinariâ punitur pœnâ pro qualitate ipsius excessus; Nam excedens in omnibus tribus, quiq; hoc latâ culpâ commissâ dicitur, corporis pœnâ afflictivâ affici potest, sc. vel fustigatione, vel manus absessione; in duobus, quiq; hoc levi culpâ fecisse dicitur, afficitur relegatione; in uno, quiq; hoc levissimâ culpâ fecisse dicitur, pœnâ pecuniariâ. *Const. Crim. art. 142. in verbis*, So kan sich der Todeschläger seiner rechten oder vollen Nothwer behelfen. *Gail. d. t. n. 19. l. 2. observat. 100. n. n. Fach. l. i. controvers. 32. Carpz. part. i. quest. 29.* De paritate armorum nihil in thesi, sed hypothesi determinari debet, & consideranda est ex qualitate circumstantiarum & personarum, e. gr. si homo robustus aggressus fuerit hominem imbecillem, pugnisq; in illum irruerit, imbecillis vero robustum gladio interfecerit, dicendum est paritate armorum cædem esse commissam. *Gloss. in l. i. C. unde vi. Damhoud. c. 76. n. 14.*  
25. An v. fugâ quis sibi consulere teneatur, deciditur in *Const. crim. art. 140.*  
26. Porro ipsa defensio & inculpata defensio bene sunt disting. qui enim excedit inculpatam defensionem, extra ordinem, qui ipsam defensionem, ut si quempiam convictum modo interfecerit, pœnâ ordinariâ puniendus est. *Carpz. all. loco.* Et de excessu ratione defensionis verba illa *art. 142.* sunt intell. Und das fürter die Straff an Leib und Leben etc. Ratio, quare hoc in casu ordinariæ pœnæ locus, hæc est, quia nullâ defensione ipsi opus fuit.  
27. Homicidiū casuale, ut si putator ex arbore dejecto ramo, quem in medio fundo cædebat, vel in loco à communī viâ remoto. §. 5. *Inst. ad L. Aquil.* hominem transeuntem occiderit, nequaquam punitur. *l. i. C. ad L. Corn. de Sicar.* quæ enim ex improviso potius, quam fraude accident, fato plerumq; non noxæ imputantur. *d. l.*  
28. Homicidium culposum, ut si tegens domum ex casu lapidum, vel lignorum aliquem interfecerit. *arg. §. 5. Inst. ad L. Aquil* vel quempiam levi baculo verberando occiderit, quia animus occidendi non præsumitur. *Jul. Clar. in §. Homicid.* *L. Corn. de Sicariis* non tenetur. *l. 7. ad L. Corn. de Sicar.* sed pœnâ leviori, puta pecuniariâ, vel exilio promodo culpæ punitur. *Bos. in tit. de defens. reor. n. 68.* Alias reus vel testibus, vel urgentissimis probationibus probare debet, se primo invasum, vel culpâ, vel casu homicidium commisum; Nam fatendo homicidium dat contra se præsumptionem se fecisse dolo, & nisi probare possit, sc. vel ad sui defensionem, vel alia causa fecisse, erit condemnandus. *l. i. l. 5.*  
*C. d. t.*

C d.t. etiam si tortura non præcesserit, tortura enim tunc locum habet,  
quando res est dubia, & certa adiunt indicia, nec adeat confessio. l.1. §.  
1. de quæst. l. s. de custod. & exhib. reor. Carpz. part. 3. quæst. 19. circum-  
stantiae tamen aliquando hoc variare possunt.

29. Hactenus de uno L. Corn. capite, nempe homicidio, restat  
jam alterum ejusdem legis caput, veneficium perstringendum. Venefi-  
ci, à veneno, dicuntur, non solum qui incantationibus utuntur, sed &  
qui malo animo venenum alicui propinârunt, vel hominis necandi cau-  
sâ confecerunt, habuerunt, vendiderunt. §. 5. Inst. de Publ. Jud. l.1. §. 1.  
l.3. in pr. ff. ad L. Corn. de Sicar. Ordinat. crim. art. 130. Venenum autem  
est vocabulum μέστη, & in bonam, & malâ partem sumitur, l. 236. de V. S.

30. Pœna veneficii de J. C. cum pœna homicidii coincidit. l. 28. §. 9.  
depœnis. Secundum Const. Carol. art. 109. sagæ, quæ hominibus nocue-  
runt, concremantur, magiam exerceentes, aut arte divinandi utentes,  
nemini tamen nocentes, extra ordinem puniuntur. d. Confir. nisi Deum  
abjurarint, & se Diabolo mancipârint, nam & illæ, nullo damno illato,  
concremandæ sunt. Vult. ad tit. de Publ. Judic. §. 5. n. 8. Hæc sufficient de  
L. Corn. de Sicar. & beneficiis.

31. Quartum Judicium publicum fluit ex L. Pompejâ de Parricidiis.  
Parricidii vox tria denotat. 1. Omne delictum capitale. l.2. §. 23. de O. J.  
2. Illud delictum, quod vocatur homicidium. Covarr. in Clement. si fu-  
riosus part. 2. relect. in initio n. 12. de homicid. 3. In specie, si quis parentes,  
vel liberos, vel alias personas, quæ eorum loco sunt, interficerit. §. 6.  
Inst. de Publ. Jud. l. un. C. de his, qui parent. vel lib. ut in hoc loco accipitur.

32. Parricidii autem delictum sicut est sc̄elestissimum. Vvesenb. in  
parat. in pr. ad L. Pomp. de Parricid. ita & pœna ei præstituta est gravissima.  
Pœna parricidii variavit ratione temporis. Harpp. ad tit. Inst. de Publ. Jud.  
n. 17. Deinum constitutum, ut parricida, qui parentis, aut omnino ad-  
fectionis ejus, quæ nuncupatione parentum continetur, fata præparave-  
rit, insitus culeo cum cane & gallo gallinaceo, & viperâ & simili in vi-  
cinum mare, vel amnem proiiciatur, nec non is, cuius dolo malo id fa-  
ctum, vel conscientius criminis existit, licet extraneus sit. d. §. 7. & l. 6. de  
parricid. modo opem ei tulerit qui parricidium perpetravit, nam si nu-  
dam habet tantum criminis perpetrati notitiam, mitius, tempe relega-  
tione est puniendus, & sic intell. l.2. d.t. Nec mirum, si eadem obtineant,  
etiam si extraneus sit, quia eo ipso, quod opem tulit, facit se reum hujus  
criminis. In disquisitionem hinc venit, Qui sacerum, vel soçrum, gene-  
rum

rum vel nurum interficerit, poenâne parricidii sit afficiendus. Et R.  
quod non. l. un. C qui parent. vel liber. interfec.

33. Poena parricidii habet etiam locum, si quis vel naturalem tan-  
tum patrem interficerit, nec interest, sive legitimos, sive naturales filios  
quis occiderit. l. un. C d.t. Jul. Clar. §. parricidium n. 2. vel etiam mater  
spurium. Conſt. Crim. art. 131. l. 5 de in jūs vocando, non pater, quippe pa-  
ter eis est incertus. §. penult. Inst. de Nupt. etiamsi patrem demonstrare  
possint, quia talem non habent, qualem per LL. habere licet d. l. 5. Per  
art. 131. Conſt. Crimin. etiam hodie poena parricidii est suffocatio in aquâ,  
cui addendus art. 137. circa ſnem, in verbis, vnd mag in fürgefektem Mord/  
ſo der an hohen/ treßlichen Personen/etc.

34. Quinto loco speciebus Judiciorum publicorum connumeratur L Corn. de falso. Falsum tria denotat. 1. Quicquid non est verum,  
etiamsi ex mendacio, vel fraude non procedat. l. 13. §. 3. de rebus dub.  
2. Falsum usurpatur pro veri immutatione, etiamsi alii non noceat, & in  
hoc sensu accipitur pro mendacio. Nov. 73. in pr. 3. Propriissime, quæ  
consideratio hujus loci est, sign: fraudulentam veritatis immutationem,  
cum alterius præjudicio factam. l. 23 ad L Corn de fals. Tertium tamen  
requisitum non est adeo necessarium, ut nempe actu ipso alteri dam-  
num illatum, sed sufficit, si ejusmodi veritatis sit immutatio, ex quâ  
damnum inferri possit. Jul. Clar. §. falsum n. 35.

35. Committitur falsum quadrupliciter, in persona, verbis, scriptis,  
abusu. In persona, quando dolosè persona fingitur talis, qualis reverâ  
non est, in præjudicium tertii, hujus species est crimen suppositi partus.  
l. 19. §. 1. d.t. Item, si quis nomen suum dolosè immutet. l. 13. d.t. (no-  
men alias per se immutare non est delictum. l. 1. C. de mutat. nomin.) fitq;  
dupliciter: Primo, si quis mentiatur aliud nomen. d. l. 13. 2 Quando  
quis dicit, se esse militem, nobilem, Doctorem, cùm tamen non sit. l. 27.  
§. f. ad L Corn. de fals. quo casu subdist. aut n. ille, qui jactitat se Nobili-  
lem, Doctorem, non arrogat sibi ea, quæ sunt Dd. & hic in falsi crimen  
non incidit, sed mentitur. Damhoud. c. 123. n. 11. & 12. aut etiam actus  
doctorales, vel nobilis exercuit, tûm enim falsi crimen committit, de  
quo casu intell. l. 27. §. f. d. r.

36. Verbis fit falsum, quando quis ad circumventionem alterius  
verba profert, e. gr. si in judicio dixerit falsum, & condemnatio secura,  
vel sequi potuerit. l. 1. ff. d.t. l. 14. C.d. test. alia mendacium dixisse cen-  
fetur. Falsi autem testes dicuntur, vel qui falsum præbent testimoniu,  
vel ve-

vel veritatem reticent, cum ad rei sublevationem eam dicere possint  
c. i. X. de crim. falsi, vel qui pecuniam accipiunt, quo minus testimonium dicant. l. i. §. 2. ad L. Corn. de falsi.

37. Scriptis fit falsum, quando quis mutat scripturam, vel falsam scripturam supponit, & aliis similibus casibus l. i. 2. 16. 23. d. t. Absu committitur falsum, quando quis re aliquā in alterius præjudicium abutitur, quod accidit in mensuris, mercibus. l. 32. d. t. art. 113. Constit. crimin.

38. Hisce 4. modis potest etiam addi falsum per monetæ corruptionem patratum, & committitur duplci modo, vel ratione formæ, vel materiae. Ratione materiae iterum dupliciter fit. 1. Si tota materia istanea, vel plumbea sit, & ex eâ nummi conflentur. 2. Quando non tota materia adulterina, sed aliquid adulterinæ materiae est admixtum, qualis materia dicitur ærosa. l. 102. de solution. in pr. Ratione formæ committitur falsum in monetâ, si quis abs q; autoritate Imperatoris nummos cūderit, cūm sciret, se non habere hoc privilegium, vel alienum signum imposuerit, & aliis pluribus modis cum falso in materia commisso non convenientibus.

39. Pœna falsi in genere est arbitraria. §. 7. Inst. de Publ. Judic. l. i. §. f. l. 13. §. 1. l. 21. §. 1. l. pénult. & ult. ff. & l. 22. C. ad L. Corn. de falsi. & pro qualitate etiam atrocior, potestq; aliquando ad supplicium mortis extendi, quia LL. hoc volunt. d. l. 22. art. 112. & 113. Ordinat. Crim. alias nisi lex expressè hoc dixerit, Judex nequāquam ad mortis pœnam arbitrium suūm extendere potest, quā ratione nec injuria gravissima ad mortem naturalem extenditur. arg. l. ult de Injur.

40. Cæterū pœna falsi in monetâ commissi, ut in specie de ejus pœna quædam subjungamus, & quidem ratione materiae est ignis. l. 2. C. de fals. mon. & art. m. ubi generaliter dicitur, falsificatores monetæ igni esse subiiciendos. Nec tantum cūdens falsam monetam, ut eam expendat, flamarum exustionibus mancipatur, sed & qui cudit eam, ut non expendat, vel si ab alio cūsam expendat dolosè, d. art. Cæterorum falsificatorum pœnam dicitat præat. art. m.

41. Sexta species Judiciorū publicorū est ex L. Julia devi publicâ & privatâ, quarum prior cum armis, post: sine armis exercetur. §. 8 Inst. de Publ. Judic. Quid arma denotent, habetur l. 41. de V. S. l. 3. §. 2. de vi & vi arm. Utriusq; vis tam publicæ, quam privatæ multa extant

tant exempla. l. 1. 3. §. 6. n. de vi publ. l. 1. §. 1. l. 5. ult. de vi privat.

42. Pœna vis publicæ primum erat aquæ & ignis interdictio. l. 10.  
§. f. de vi publ. post cœpit esse deportatio cum bonorum publicatione,  
quæ illi successit. §. 8. Inst. de Publ. Judic. l. 7. C. de vi publ. l. 3. ff. ad L.  
Jul. Pecul. Secundum Constit. Crim. art. 126. videtur esse arbitraria,  
ita tamen ut Judicis arbitrium ad mortis pœnam sit restrictum. Sicut  
& pœnam vis privatæ arbitrariam censemus cum Vult. ad §. 8. Inst. de  
Publ. Judic. quamvis de Jure scripto Justinianeo aliter obrineat. §. 8.  
d. t. l. 2. C. ad L Jul. de vi publ. & l. 1. ff. de vi privat.

43. Quandoquidem autem nobilior vis cæteris est raptus, quo  
per vim virgo, vel vidua, vel sanctimonialis, aliavé honesta mulier,  
explenda voluptatis gratia, abducitur, ideo & gravius punitur, nec  
solum in ipsos raptore, sed & qui opem huic flagitio dederunt, ca-  
pitaliter animadvertisit. §. 8. Inst. d. t. l. un. C. de raptor. virg. In-  
tantum, ut J. C. puniat raptorem capitaliter, etiam si matrimonium  
consummaverit. d. l. un. non item Jus Canonicum. c. f. K. de raptor.  
Quo etiam Carolus V. in Ordinat. crim. art. 118 in verbis, *Einer vñ-*  
*ehrlichen weise entföhret respexisse* videtur. Sic quoq; de J. Civili in-  
cidit in pœnam, l. u. C. de raptor. virg. virginem consentientem ab-  
ducens, matrionii contrahendi causâ. d. l un. Sic Jure Carolino ra-  
ptor capite puniend; est, sive secuta copula (eo scil. casu, quando raptam  
non ducit in matrimonium) sive non. d. art. 118. indistincte disponente,  
de Jure vero Civili contraria sententia verior videtur. d. l. un. in pr. in  
verbis, cum corruptæ virginitas &c.

44. Septima species Judiciorum publicorum est L. Julia pecula-  
tūs, puniens eos, qui publicam pecuniam, vel rem sacram, vel religio-  
sam furati fuerint. §. 9. Inst. d. t. & sic in genere complectitur etiam  
sacrilegium. In specie vero est crimen, quo pecunia publica surripi-  
tur. Harpo. add. t. modò non ab eo, cuius periculo & fidei fuit con-  
credita. l. 9. §. 2. ad L. Jul. Pecul. nam si ab eo, in L. Jul. de Residuis  
committere dicitur l. 4. §. 3. d. t.

45. Et quidem pecuniae vocabulum strictissimè sign. pecuniam  
numeratam. l. 2. §. 3. ad scđum Maced. latius sumitur pro quâvis re  
fungibili. l. 2. §. 3. de rebus cred. latissimè pro quâcunq; re, sive mobili,  
sive immobili. l. 178. in pr. l. 222. de V. S. In hoc autem judicio pecunia  
in secundâ sign. accipitur, est enim species furti, & furtum tantum fa-

mo.

mobilium. §. 7. Inst. de Usucap. l. i. de distract. pignor. Quomodo publica pecuria accipiatur, habetur, l. 4. §. f. ad L. Jul. Pecul.

46. Vox Sacrilegii pari modo dupliciter accipitur, in genere & in specie. In genere sign. violationem vel læsionem cuiusvis rei sacræ, & hoc modo committitur etiam sacrilegium in personas sacras, quæ læduntur. l. i. 3. C. de crim. sacril. c. 21. causa 17. quest. 4. In specie vero de J. C. sign. nihil aliud, quam furtum rerum Deo consecratarum in loco quoq; sacro commissum. arg. l. s. ad L. Jul. Pecul. l. 16. §. 4. de pœnis Jul. Clar. in §. Sacileg. n. 1.

47. Definitionem posuimus Sacrilegii, prout in specie in Jure Justinianeo accipitur. Sed jus Canonicum hanc in re dissentit à Jure C. c. 21. causa 17. quest. 4. ubi sacrilegium committitur auferendo sacram de sacro, vel non sacram de sacro, sive sacram de non sacro. Cum quo concordat Carol. V. ordinat crim. art. 171.

48. Et sicut secundum Jus Canonicum & Ordinat. crimi. tria sunt distincta sacrilegii genera, ita non uno eodemq; modo puniuntur. sequ. art. 173. 174. Quod J. C. attinet, pœna sacrilegii est arbitraria. l. 6. in pr. de Peculat. & l. 9. pr. d. t. per pœnam capitalem intelligitur deportatio. §. 2. Inst. de Publ. Judic. Pœnatamen peculatus de J. Civili non est arbitraria. §. 9. Inst. d. t. l. 3. pecul. Sed cum hodiè furtum rei privatae capitale factum sit. art. 160. 61. 62. ideo peculatus eadem pœna puniri solet. Damhoud. c. 115. n. 3.

49. In th. 44. digito qu. ostendimus, in quos L. Julia de Residuis octavum scil. judicium animadvertis. Hac itaq; l. tenetur, qui pecuniam publicam suæ fidei commissam, & in usum aliquem delegatam retinuit, neq; in eum usum consumpsit. l. 2. 4. §. 4. d. t. Alii modi, quibus in hanc l. committitur, vid. d. l. 4. §. 3. l. 9. §. f. l. 10. d. t.

50. Convicti de Residuis amplius tertia parte, quam debent, puniuntur. l. 4. §. 5. d. t. Quare qui 300. retinuit, 100. ultra inferet. d. l. Harpp. ad tit. de Public. Jud. Hodie pœnart. 170. Conf. Crim. pro arbitrio Judiciis criminaliter pœnæ furti submittuntur.

51. Nunc ad speciem nonam Judiciorum publicorum, L. Fabiam de Plagiariis. Estq; Plagium liberi hominis, vel servi alieni dolosa suppressio, aut ad fugam sollicitatio. l. 3. 4. 5. penult. ff. de Plagiar. Alii modi passum proponuntur ff. & C. d. t. Hic nobis persuasum habemus, delictu aliquod pro diverso respectu & publicum, & privatu dici posse.

52. Pœna plagi olim erat pecuniaria, l. ult. ff. d. t. successu temporis arbitra-

arbitraria esse cœpit. d. l. & pro qualitate delicti pœna gladii. l. ult. C. d.  
t. quæ etiam sacris literis. Deut. 24. vers. 7. Exod. 21. vers. 16. & J. Canonico  
co c. i. X. de furt. est consentanea.

53. Præcipua Judicia publica exposuimus, jam connumerabimus &  
reliqua. Decima ergo species Judiciorum publicorum est L. Julia de  
Ambitu, in quam committunt, qui pretio ad dignitates, Magistratum,  
sacerdotium, aut aliud officium publicum aspirant, sicq; pretio suffragia  
Magistratum corrumpunt. l. un. §. 1. ad L. Jul. de Amb. Alii modi, quib;  
in hanc l. quis peccat, enarrantur d. l. t. §. penult. & ult. ff. & l. un. C. eod.  
Crimini Ambitū non absimilis est Simonia, quam, cum aliquid pro spi-  
ritualibus exigitur, vel promittitur, sic appellant. Rubr. & t. t. X. de Si-  
mon. notatio ejus habetur c. 39. causa 24. quest. 3.

54. Tenentur hoc crimen tam dans, quam accipiens, immo vero  
tantum consentiens. c. 8. c. 19. c. 30. X. de Simon. nec hoc tantum obti-  
net in Simonia, sed & in Ambitu, qui de J. C. sic meretur dici. l. un. in pr.  
ad L. Jul. de Amb. Et sane qui per pretium, vel alio modo illicito aspirant  
ad dignitates indicant se vera virtute carere, quia virtus contemnit per  
fordes inclarescere.

55. Ambitus pœna de J. C. est arbitraria. l. un. §. 1. ad L. Jul. de Amb. l. ii.  
C. d. t. l. 31. C. de Episcop. & Cler. quod & Jure Canonum in Simonia ob-  
tinet, uti colligere est ex c. 2. 6. 13. 25. 30. 40. 41. X. de Simon c. 7. c. 115. cau-  
sa 1. quest. 1. c. 2. causa 1. quest. 3.

56. Undecima species Judic. publ. est. L. Jul. Repetundarū. In quam  
potissimum incidit, qui in officio Magistratus constitutus pecuniam  
acepit, ut vel faceret vel non faceret officium. l. 1. 3. 4. 5. 6. d. t. repetund.

57. Pœna criminis repetundarum est arbitraria quod deprehendim⁹  
ex l. 1. f. C. d. t. Nov. 124. c. 2. jundt. Auth. Noyo Jure C. de pœn. Jud. qui male  
l. 6. §. 1. l. 7. §. 3. ff. d. t.


58. Duodecima est L. Juli de annonā, quam l. tenentur, qui annonam  
flagellant, quorumq; dolo malo factum, ut annona carior vel arctior  
ficeret. l. 1. & 2. ff. ad L. Jul. de annonā. Istiusmodi homines appellantur  
Dardanarii. l. 6. de extraord. crim. & l. 37. de pœnis. Annonæ autem appella-  
tio generalis est, quam omnia ad victum pertinentia veniunt, videlicet  
frumentum, vinum carnes, ligna & similia. arg. Rubr. jundt. II. 1. 2. & 8.  
C. de erogat milit. ann. Cujus pœna est extraordinaria l. 2. in fin. ff. de  
Annon. l. 6. de Extraord. crim. Receſſ. Imper. de An. 1548. & 1577 sub tit.

die monopolia vnd schädliche etc.

Et tantum de PUBLICIS JUDICIIIS.  
SOLI DEO GLORIA.







the scale towards document

¶ *Ufucap. l. i. de distract. pignor. Quomodo publica  
petur, l. 4. §. f. ad L. Jul. Pecul.*

¶ *¶ i pari modo dupliciter accipitur, in genere & in  
violationem vellæstionem cuiusvis rei sacræ, &  
ar etiam sacrilegium in personas sacras, quæ læ-  
a. sacril. c. 21. causa 17. quæst. 4. In specie verò de  
quām furtum rerum Deo consecratarum in lo-  
ſſum. arg. l. 5. ad L. Jul. Pecul. l. 16. §. 4. de pœnis  
n. 1.*

¶ *¶ posuimus Sacrilegii, prout in specie in Jure Ju-  
d. jus Canonicum hæc in re dissentit à Jure C. c. 21.  
crilegium committitur auferendo facrum de fa-  
de sacro, sive facrum de non sacro. Cum quo  
ordinat. crim. art. 171.*

¶ *dum Jus Canonicum & Ordinat. crimi. tria sunt  
teria, ita non uno eodemq; modo puniuntur.  
od J. C attinet, pœna sacrilegii est arbitraria.  
l. 9. pr. d. t. per pœnam capitalem intelligitur  
de Publ. Judic. Pœnatamen peculatus de J. Civili.  
9. Inst. d. t. l. 3. pecul. Sed cum hodiè furtuni rei  
n. sit. art. 160. 61. 62. ideo peculatus eadem pœna  
l. c. 115. n. 3.*

¶ *¶ qu. ostendimus, in quos L. Juli de Residuis octa-  
madvertat. Hæc itaq; l. tenetur, qui pecuniam pu-  
nissam, & in usum aliquem delegatam retinuit,  
sumpsit. l. 2. 4. §. 4. d. t. Alii modi, quibus in-  
id. d. l. 4. §. 3. l. 9. §. f. l. 10. d. t.*

¶ *Residuis amplius tertia parte, quam debent, puni-  
Quare qui 300. retinuit, 100. ultra inferet. d. t.  
Jud. Hodie per art. 170. Conf. Crim. pro arbi-  
ter pœnæ furti submittuntur.*

¶ *tem nonam Judiciorum publicorum, L. Fabiam  
agium liberis hominis, vel servi alieni dolosa sup-  
follicitatio. l. 3. 4. 5. penult. ff. de Plagiar. Alii mo-  
di ff. & C d. t. Hic nobis persuasum habemus,  
verso respectu & publicum, & privatū dici posse.  
olim erat pecuniaria, l. ult. ff. d. t. successu temporis  
arbitra-*